



# Disputatio medica inauguralis de anorexia

<https://hdl.handle.net/1874/345157>

Q. D. B. V.  
DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS  
DE

28.  
ANOREXIA,

QUAM  
FAVENTE TRI-UNO NUMINE

*Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*

JACOBI VALLAN,

M. D. Praxeos & Institut. Med. Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academici Consensu, ac Nobilissima  
Facultatis MEDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in MEDICINA Honoribus ac Privilegiis ritè  
ac legitimè consequendis,

*Publica disquisitioni subicit*

GODOFREDUS MULLERUS, HAMB.

*Ad diem XI. SEPTEMB. horis locoque solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, clō lōc xci.

V I R O

*Admodum Reverendo Clarissimo ac Prae-  
cellentissimo D. Magistro*

HIERONYMO MULLERO  
Archidiacono Ecclesiae Ni-  
colaitanae quae Christo in Il-  
lustri Republica Hambur-  
genfi colligitur longè meri-  
tissimo Dno. Parenti ad fi-  
nem usque vitae Colendo.

*Hanc suam pro gradu Doctorali consequendam  
dissertationem debita reverentia*

Offert & dedic.

GODOFREDUS MULLERUS.

AUCT.



# P R O O E M I U M.

**N**ecessitatem tributorum in bene constituta Republica illustraturus P. brygius Apologo utebatur sequenti. Accusabant ventriculum membra totius fere corporis: quod quicquid anxiam sedulitate multoque labore sibi acquirebant boni soli non concedendum esset ventriculo, qui omni solutus cura eorum ditescebat molestia. Quid fit: Concluditur quieti se commissurum caput, non amplius ambulaturos pedes, non laboraturas manus, cum non suum sed vilis cujusdam intestini lucrarentur panem, secuta fuit sententia, sed quo eventu? eodem quo stomachus, momento, totum languere corpus incepit, usque dum & temeritatem consilii quodlibet membrum sentire. Hec Aesopus: Politicum Apologi sensum explicare, ut hujus loci non est ita veritatem ejus literalem nemo non percipit cum ex alimentis assumptis vivamus, alamur, imo & ad functiones omnes alacriores reddamur. Hinc spiritus in crementum, nervi robur, caro soliditatem, humores debitam temperiem imo totum corpus <sup>in propria</sup> nanciscuntur. Ludit ergo non male Quintus Serenus in Praesago Parnassi monte, dum ait qui stomachum Regem totius corporis esse contendunt, nisi vera ratione videntur. Hujus enim validus firmat tenor omnia membra & contra ejusdem firmantur cuncta vigore. Quanta vero ex adverso emergunt mala, quanta exsurgunt in oeconomia animalis miseriae, paucis hic nobis dicendum, dum Anorexiam, Famofum illum ventriculi morbum, exponere aggredimur.

DISPUTATIO MEDICA  
 INAUGURALIS,  
 DE  
 ANOREXIA.

§. I.



T breviter sed methodice quid per Anorexiam intelligendum, explicem, dico quod sit prostrata ciborum omnium appetentia S. Fames deficiens, ex à priv. & ὀρέγω S. ὀρέγωμαι appeto, desidero, Ety-  
 mologiam ducens: Duplicis generis  
 occurrunt ἀνόρεξις, quidam enim simul-  
 ac dapes libarunt, velut satiati, prote-  
 nus abstinēt, Græcis propterea ἀφίνα-

πος: alii vero sunt qui nihil omnino appetunt juxta Galen:  
 lib. 1. de caus. Symp. cap. 7. Germanice Keinen Appetit zu essen  
 haben.

§. II. Subjectum ipsius appetitus quod spectat, inquirendum  
 est in quo loco sensatio illa molesta, Fames dicta, percipiatur:  
 Veteres statuere sedem appetitus concupiscibilis esse in hepate,  
 irascibilis in corde &c. Inter recentiores Cartesius appetitum in  
 esse menti, tanquam cerebro, & speciatim glandulæ pineali uni-  
 tæ statuit: his autem opinionibus album adjicere calculum quid  
 opus est? Sufficit sensationem illam molestam in stomacho  
 clarè persentiri, & in hoc modernicum Antiquis ὁμοθυμαδὸν  
 consentiunt: Ventriculi situs, figura & structura, quoad fibras,  
 vasa & nervos, constant ex Anatomia, ita ut multa hic de iis-  
 dem congerere supervacaneum censeam. Substantia ejus fibrosa  
 est membranosa, nervosa, (præsertim circa superius orificium)  
 imò & glandulosa (Malpigijs vocat ventriculum amplam exten-  
 sam)



*samque glandulam*) per quam disseminantur quam plurima vasa arteriosa, venosa & lymphatica: interior ejus membrana, valde laxa est & plicatilis ita ut vacuo ventriculo corrugetur & sensim ac pededentim complicitur, dum spiritus animales inter fibras ejus spongiosas vegetè circumferuntur: In hac autem interioris membranæ corrugatione, vel, si mavis, compressione, naturam famis & appetitus consistere, defendemus.

§. III. Est autem hæc fames duplex, vel per se, sive naturalis, vel per consensum, sive præternaturalis, quæ itidem aliquando dicitur fames canina. Per se, cum nullus alius præcesserit morbus, de qua primario hic est sermo, aut per consensum ex morbo quodam, cum vel turbatio humorum adest, quoad proportionem & mixtionem, vel quando melancholia hypochondriaca, cachexia, colica simileve alii morbi ægrum vexant, vel quando bilis in ventriculum ex intestino duodeno regurgitat, aut per canalem præternaturalem illac defertur, tuncque homines illi Græcis vocantur *πιροχόλοι*.

§. IV. Objectum autem appetitus quod attinet, dico median-  
tibus spiritibus cibum appeti, nam vacuo ventriculo interiorem ejus membranam per influxum spirituum vivacius corrugari & comprimi, jam supra pronunciamus: Est itaque objectum verum: *Cibus*; per cibum autem intelligimus illud omne quod corpus nostrum nutrire & augere valet: Desumitur autem ex R. Animalis & Vegetabilis solum, Animale dat carnes, lac, butyrum, caseum & quæ ejus naturæ sunt alia, Vegetabile dat triticum Pisum, Faba, Lentis &c.

§. V. Præternaturalis fames causas agnoscit duas, privativam alteram spirituum sc. defectum, alteram positivam cruditatem pituitosam Nidorosam, rarius acidam vel ex his mixtam.

§. VI. Veteres quidem nobiscum faciunt quando Famem, tanquam facultatis appetitivæ speciem ad animam ipsam referunt: dissentiunt tamen multum in explicatione causæ Famis, dum statuunt illam oriri ex suctione venarum ventriculi, quæ exinanitæ post totius corporis nutritionem sensationem illam molestant, quam nos famem dicimus, producerent: Verum sponte:



## 8 DISPUTATIO MEDICA

corrui hęc appetitus causa, si consideremus (1.) per Venę Sectionem largiorem aut hęmorrhagiam insignem appetitum non augeri, sed potius deficere (2.) corpora plethorica non minus esurire quam alia ex sanguia (3.) tum potissimum Famem urgere, quando Chylificatio vix absoluta, sanguificatio vix inchoata est, ut ob inopiam vel defectum alimenti tum fames accidere non possit. Denique suctionem venarum nemo demonstrare valet. Recentiorum vero cohors pro exitanda fame fermentum aliquod ventriculi modo acidum modo falsum fingit, à quo superius sæpius orificium ventriculi afficiatur, falsis innititur fundamentis, dum nempe supponit ab acidis excitari famem, acidum reperiri in stomacho quo ipso committunt fallaciam, non causę ut causę, vide *Diff. D. D. Rivini de acido ferment. ventricul.*

§. VII. Spiritibus autem omnia debere, probamus potissimum ex animi pathematibus, in quibus & motus & sensus spirituum impeditur E. G. ex terrore in quo subito omnis destruitur appetitus, acidum vero non tam cito potest elabi: posita itaque causa ponitur effectus: Avocantur autem spiritus in ejusmodi animi Pathematibus & juxta novam Idęam impressam versantur & tum fibrę spiritibus deficientibus non amplius sese contrahunt inde Anorexia, contrariorum enim similis est ratio videre hoc possumus in partibus externis *Da man erschrickt daß einem die butter vom hzod fällt.* Firmiter itaque hunc in modum concludimus, quibuscunque absentibus vel negatis abest appetitus & quibus præsentibus adest, illa vera sunt causa ejus atqui spiritus &c. Ergo: Major probatur ex eo, posita causa ponitur effectus, Minor ex allatis probata datur. Objicere autem nobis quis posset, nunquam defectum spirituum esse in ventriculo; emorirentur enim uti alię partes ubi deficiunt spiritus. Respondeo itaque, & distinguo defectum spirituum in totalem & partialem: Ubi tempore somni partes non possunt moveri ob defectum spirituum: Instet porro aliquis spirituum influxum non esse causam, quoniam sæpe influxus nimius adest citra ullum appetitum ut in Febribus ardentibus. Resp. Nos loquimur de natu-

naturali: & quemadmodum militum copia in acie non juvat ubi confusè militant, quin potius victoriæ obsunt; ita etiam ab irregulari & confuso spirituum influxu Fames prosternitur, imo si prior illa ratio locum haberet, quidni in ejusmodi subjectis motus localis stimulus Venereus & multa alia adessent, refrenandus itaque est in his malis spirituum motus.

§. VIII. Ad cognitionem vero causarum signa inserviunt sequentia. Ubi pondus & dolor aliquis gravativus & inflatio ventriculi observatur, ibi certò certius pituita hæret inventriculo: Ubi vero oris amaror cardialgia, nausea ac ructus acidi, adsunt, ibi nidorosam cruditatem judicabis: sic ructus acidi murmura ac rugitus in abdomine acidam cruditatem manifestant. Quod si hæc recensita signa concurrant, mixtæ erunt cruditates; aut quando nullum horum signorum adest, & præterea totum corpus languet, spirituum defectus in culpa est.

§. IX. Symptomata, quæ Anorexiam sequuntur, sunt nausea, vomitus, gravedo ventriculi, emaciatio corporis, vitium imbecillitas, ardor ventriculi, sorda & cardialgia.

§. X. Porro observanda sunt signa Prognostica, in omni enim affectu in quo appetitus vel etiam solito minus vel tantillum constat, bonum est signum, malum, si defectus spirituum adest, pejor vero, si simul fastidium adsit & maneat in morbi declinatione prostratus appetitus, pessimus autem, si in morbis post summas debilitates, subito vehemens oriatur appetitus. Porro quibus sine manifesta causa deficit, morbum imminere certum est: Quamobrem Podagrici Nephritici appetitum deficientem tanquam signum imminentis paroxysmi habent, nec persuaderi possunt affectum cessaturum esse, antequam is redeat.

§. XI. Causas externas & remotas (ex sex rebus non naturalibus petendas) utpote cuius attendenti obvias, quæque ad priores antecedentes facile accommodari possunt, sicco hic pedebrevitati studens, præterea, directè ad curationem transiturus. Agedum ergò videamus

*Quid valeant humeri quid ferre recusent.*

Cura defectus spirituum restitui debet remediis Analepticis ac  
spiri-



## 8 DISPUTATIO MEDICA

spirituosis qualia in universum spirituosâ omnia atque fragran-  
 tia Spiritus Vini Rhenan. & spiritus per fermentationem parat.  
 pertinent, quæ talia analeptica sunt ut ratione particularum sua-  
 rum salino volatilium quibus summam cum particulis aëreis mo-  
 toriis intercedere Analogiam D. Bohn. Prof. Lips. in Circul.  
 Anatom. Physiol. Pragymnasmat xix. p. 306. probavit: ast an-  
 tequam ad recensitionem eorum perveniamus ipsius stomachi vi-  
 tia considerandas esse necessum putamus. Sunt autem tria  
 (1) Spiritus (2) Organon (3) Contentorum: Prius quod  
 attinet, dubium non est quin Spiritibus defatigatis, id est exhau-  
 stis per labores & exercitia vehementiora, vel abusu Veneris, aut  
 iisdem spiritibus distractis, id est in motu irregulari constitutis, à  
 gravi cura, mœrore & studio insatiabili appetitum atque ipsam  
 digestionem lædi. Quo in casu nihil aliud requiri videtur quam  
 Analeptica & Aromatica, abstinendo simul ab omnibus quæ  
 vires prostertere spiritusque à ventriculo avocare possunt. Ana-  
 leptica autem sunt sequentiâ. E. R. V. Spiritus Cerasor. nigror  
 (de cujus aqua Johannes Monardus ut & alii authores scribunt,  
 quod si in os Epileptici infundatur, quoties paroxismo laborarit  
 inhibeat morbum, solvat) pomorum dulcium Cortic. Citri lilior  
 convall. flor. Tiliæ, Rosarum aqua Namphæ id est flor. Citri  
 Tinctura Cinamomi simplex Cydoniata cum Spiritu formi-  
 car. acid. parat. vel in substantia aqua Lavendulæ cum vino Me-  
 lissæ magnanimitatis cum Spiritu Formicar. parat. miris præco-  
 niis extollit D. Rivinus Prof. Lipsiens. Famigeratissimus in Col-  
 legio privatiss. super Materiam Medicam, quibus ambra, vel in  
 substantia vel in Tinctura commodissime associari potest: Ad clas-  
 sem Analepticorum etiam referri possunt Vinum Generosum ac  
 dulce V. G. Hispanicum Ilicitanum vinum (Alacant) cum  
 bolo panis assumtum vel largior ejus potus (admodum profi-  
 cius in malignis observatus à *Bartolino Centur. 4. obs. 7. M. N. C.*  
*A. 3. observ. 145. p. m. 266.* Spiritus Vini Rectificatus cum  
 Ambra & Moscho inebriatus ad imitationem, *Quercetani Phar-*  
*macop. restit. p. 381. Riolan obs. Med. 4.* item aqua Apopleptica  
 Langii & Kohlreuteri aliaque compositæ infinito numero indi-  
spen-

spensatoriis congestæ & quarum compositionem ex Recentioribus videre licet apud *D. Blegny Secrets concernant la beauté & la santé Tom. 1. pars. 18.* Videndum tamen semper est, an ferre possint hæc suaveolentia ægrotantes: sexus enim sequior ut plurimum & Masculinus non raro illa abhorrent; adeoque loco illorum aqua apoplecticæ Acidæ vel cum Castoreo paratæ aut aceta saltim Calendular. Rutac. lilior convall. flor. Tunic vel alia magis fœtida item Salia volatilia Sal. Volatil. C. C. Eboris Spiritus Sal. ammoniac. cum calce viva & omnis generis acida Spiritus Formicarum acidus Spiritus virid. æris vide *Praxin Chymicæ. Harcmani Agricola in Poppium Tract. de Anim. p. 163. Crato à Krassih. in observ. 38. Boyle Chym. Scept. p. m. 227. & aceta jam jam recensita: nunc salsa Liquor. C. C. succinat. mixtura simpl. Spirit. Aperitiv. Pœnoti vel à Glanbero Turn. Philosoph. p. 2. c. 98. descriptus, nec non Oleum destillatum Caryophyllor. Cinamom. Spicæ Major. Salviæ Thymi Serpilli spirituosus admixta, conducunt & Cataplasmata nihil non valent regioni cordis imposita ex Mica panis similagim. Cinamom. Caryophyll. Macisque pulvere cum Confectione alkermes ex *Guelielmi observat. Chir. cent. 3. obs. 33.* vel tenella Citri frondium folia ex *Panarolli Pentecoste 3. obs. 41.* vel Meliss. calid. Vino imbuta vid. *Senert.* ut & *Usnea* cranii human. Specific. Cephalic. *D. Michael.* Lign. Aloes. Sassafras Colubrinum Rhodii Mucus clavatus S. quod idem est Sulphur. Lycopod. item Lunariæ vide *Takium Chrysozonia animali p. 165.* Modus his utendi est varius nam & interne exhibentur subinde multis modis & externe vel naribus obijciuntur vel pulsibus cordis regioni applicantur vel inungantur temporibus aut membris languidis ut vellicatæ ab ejusmodi acribus fibræ Spiritus quoque languentes excitet atque in motum naturalem revocent. Aromata autem stomacho sunt grata Cinamom. Nux Moschat. Macis, Cubebæ, Cardamom. Zingib. piper Instar. omnium sit Spirit. Mastichin. *quærens Simon. Pauli describit Quadripartit. Botan. p. 541.**

§. XII. Ipsius vero Ventriculi duplex est Atonia; nimirum relaxatio & motus præternaturalis in Vomitu. In Atonia cum



Adstringentibus exhibeantur Aromatica & Analeptica aut Carvi cum Cinamom. Miva. Cydonior. Solum tamen Elix. menthae vel vinum Hippocraticum aut etiam Hispanicum in quavis atonia ventriculi & ipsa Lienteria sufficit non raro absque omni adstringente. Eodem modo recensita quatenus vellicando fibras stomachi Spirit. alliciunt, restituunt motum naturalem contractorium. Vomitus quoque sedant eadem medicamenta, cum quibus Opiata interdum cautè misceantur praesertim si dolor stomachi vix quicquam toleret aut per consensum ob dolorem partium vicinarum vomitus contingunt.

§. XIII. At vero si in stomacho collectæ cruditates vel appetitum destruant vel digestionem corrumpant, omni studio procurandum est ut pravi humores alterentur & evacuentur in acida quidem cruditate sufficiunt Salia fixa & volatilia inprimis Terrea & Martialia sal. absynthii Centaur. minor. Tartari unde etiam forsân vulgatum illud *Bitter in mund den magen gesund.* Inter salia volatilia sunt Spirit. Sal. ammoniaci Carminativ. de tribus Tinctura Tartari Spirit. C. C. volat. vel Terrea Cornu Cervi & Eburustum à *Jocle in Prax. Laudat.* Corallia mater perlar. Crystallus montana ab *Langio in Epistol. Medic. Lib. 3. cap. 1. laudatus* Dilui & acrimonia potest aqueis ad imitationem *Borelli Centur. 2. observ. 27.* namque hæc secum per vias urinarias eandem abripiunt. Hinc potus Cerevisiæ dilutæ aut loco ejus aqua simpl. vel nivalis utilis est Confer *Facut Lusitan. Medic. Princip. Historia p. 318.* admodum quoque proficua est aqua Thermarum naturalis ut & aqua Extinctionis Fabrorum copiose hausta nec non decoctum hordei, quorsum voco spongias sambuci in aqua Simpl. maceratas vel aqua ligustri *famosum illud Gabelchoveri experimentum in curandis Aphthis Confer Act. Hassniens. Volum. 4. p. 49. M. N. C. A. 4. observ. 83.* nec certe nocebit potus thè. Thèe aut fabarum ustulatarum Cofsee circulationem enim sanguinis certo respectu & augent & minuunt nec in convenientia nonnunquam sunt pinguis Oleum Olivarum amygd. dulc. butyrum & jura pinguis Gallinarum caponum &c. item capita ac pedes vitulorum ac suum; Superfunt adhuc Martialia inter quæ

quæ agmen ducit Tinctura Martis cum succopomor. Bordsdorfianorum preparat. cujus egregios successus vidimus apud Dn. D. Langium Medicum in Lipsiensi Academia Celeberrimum circa ægrum hypochondriacum horrenda insomnia de singulis noctibus patientem. Nec infimæ virtutis sunt liquor Martis Solaris item Crocus & Limatura ejus ut & antimon. Diaphoreticum.

§. XIV. In Biliosa cruditate præter Terrea præcipitantia E. G. Lap. percar. Judaic. scissilem Granadum Margarit. Carmeolum Amethystum Ossa sæpiæ &c. conducunt etiam acida vehiculo aqueo probe diluta Succ. Citri Portulac. Limon. malum punicum Spiritus Vitrioli Philosophici Nitr. Sal, Sulphuris Elixir proprietat. acidum, Clyffus mineralis &c. sic ut pro lubitu exinde componi possint Formulæ. V. G.

*Decoct. Hordeac. ℥ij.*

*Succ. Cerasor. Nigror. ℥ij.*

*Syrup. Arantior.*

*Citri an. ℥j.*

*Tinctura Rosar. ℥ss.*

*Spiritus Sulphur. per campan. q. s. pro grata aciditate*

*M. F. Fulepus.*

Conferunt etiam in hac cruditate remedia amara V. G. absynth. vide *M. N. C. A. 4. observ. 48.* agrimonia & alia jam supra commemorata satius tamen est evacuassibilem per vomitorium & purgans Mercur. vitæ Tartarus Emetic. aut G. G. cum arcano duplicato Mynsicht. vel Rhabarb. cum cremore Tartari.

§. XV. In casu pituitoso omnis generis enarrata locum habent cum Evacuantibus in subjectis frigidioribus aromatica acria, Serpillum Rosmarin. Salvia Thymus Melissa Origanum Majoran. Pulegium, Rad. Caryophyllat. Lign. Sassafr. & Guajac. Rad. Levistici Angelicæ, Ari, Galangæ, Zedoariæ, Satureia, Acorum Cortices Citri & Arantior. nec non Balsam. Peruvian. item amara supra notata: Subjectis autem calidioribus dentur præter acida jam supra etiam enarrata vel falsa ut sunt liquor terræ foliat. Tartari, Tartarus Vitriolatus in specie Tachenii, Sal. ammoniacum depurat. Arcan. duplicat. Myns. Crem. & Cryst. Tartari Evacuantia



quantia autem in his commoda sunt quæ parantur ex rad. Jalapp. & helleb. nigr. Scammon. Colocynth. ita ut felici successu itidem ex illis Formulæ juxta unius cujusque lubitum componi possunt. V. G.

℞. Resin. Jalapp. gr. xv.

Subigatur cum s. q. vitelli ovorum

adde aqua Fumar. ℥j.

Edulcoretur parum Fulepo violaceo D. S.

Purgier milch auf een mahl. Purgantia sub hoc formularum genere omnium optime exhibentur; sedes enim frequentes excitant cum *ισφορία* ægrotantis. Sterilescunt enim non raro pulveres & potiones purgantes ut nullo modo alvum solvant quod de Emulsionibus non metuendum sed observante Clarissimo D. D. Langio Præceptore fidelissimo optatos successus eorum in Praxi semper sine torminibus est.

§. XVI. Ex prædictis ergò selectam combinare materiam, ad mixtam cruditatem necessariam cuius attendenti facile erit, jam enim alcalia cum aromatibus, si pituita cum acida commixta sit, jam alcalica cum præcipitantibus, si cum bile acidum est mixtum jam aromata sunt conjungenda cum acidis inter hæc præ reliquis virtutem habet *Elixir Vurioli Mysicbi Armamentar. p. 269. de scriptum.*

*A quo Principio rerum de pendet, in ipso*

*Principium ut operis fuerat sic sit quoque*

F I N I S.